

corporis symbola sunt, ideo ad separationem animae quae causatur ex dissolutione illius harmoniae, necesse est quod talia accidentia remaneant in materia.

Ad sextum dicendum quod in morte animalis quaedam forma imperfecta inducitur in materia; sed quia est via ad dissolutionem et imperfectionem, non oportet ponere aliquid agens particulare quod intendat illam formam inducere. Est enim ordo naturalis inter animam et talem formam ita quod abiectionem animae a materia necesse est talem formam sequi in eadem. Unde Philosophus dicit in VIII Metaph. quod ex vivo fit mortuum sicut ex vino fit acetum, et sicut ex die fit nox.

Quamvis etiam talis forma substantialis resultet in materia, non tamen proprie dicitur esse generatio, eo quod illud a quo est transmutatio est perfectum. Illud autem in quo transmutatum est, est imperfectum et corruptum et praeter naturam. Unde Philosophus VIII Metaph. vocat mortuum, corruptionem vivi.

Quidquid igitur dissolvit harmoniam debitam animae, sive sit calor innaturalis in corpore, sive aliud agens extrinsecum, illud est causa inductionis hujus formae, et propter hoc eadem facilitate qua harmonia debita animae dissolvitur, forma ipsa inducitur. Ipsa enim animae abjectio est ejus inductio. Verum est tamen quod harmonia non dissolvitur nisi cum alia alteratione et illius alterationis forma inducta est terminus. Si autem possibile esset harmoniam subito *dissolvi*, nihilominus illa forma resultaret absque alteratione successiva praecedente. Non enim est talis forma quae antea *particulariter* intendatur per alterationem disponentem materiam, sed est necessario consequens separationem animae sicut forma acoeti sequitur formam vini in materia. Aliquando etiam subito per tonitruum mutatur vinum in acetum; sicut subito vivum fit mortuum.

Ad septimum dicendum, quod in specie humana non est affinitas prolis ad parentes per hoc quod proles jam producta habeat in se *aliquam* formam substantialem derivatam a patre et inductam opere naturae; sed per hoc quod virtus decisa a patre inducit dispositiones proprias ipsi animae, non solum illas quae corrumpuntur, sed illas quae manent cum anima rationali. Unde proles habet affinitatem ad illum solum, tamquam ad suam causam efficientem quantum ad corpus, a quo semen decisum est cum virtute formativa corporis. Licet enim corpus sit actu id quod est per animam, cui conveniunt in materia talia accidentia, non tamen est intelligendum quod organizatio membrorum et accidentia corporis sint effective inducta ab anima, sed effective sunt a generante, sicut calor ignis non est effective a forma ignis geniti, sed est ab igne generante, sicut etiam ipsa forma ignis generative est ab eo. Unde cum cor-

pus prolis nullo modo derivetur ab extraneo sed solum a patre effective, quantum ad dispositiones et lineationes corporis, et materialiter a matre: patet quod proles solum ad patrem et matrem et eorum affines "et non alios," habet affinitatem.

DIFFICULTATES EX THEOLOGIA

8. Adducunt etiam quidam rationes ex quibus videtur quod illa quaestio sit contra sacram Scripturam, et contra fidem, quarum una talis est. Si in homine nihil sit substantiae nisi anima rationalis et materia prima cui unitur, non erit aliquid a quo anima, quae creatur munda, contrahit originale peccatum. Non enim contrahit ipsum a materia prima, quia ipsa non producit in esse, et ita sequitur quod originale peccatum non derivatur a primis parentibus in posteros, quod est haereticum.

9. Praeterea. Corpus Christi fuit idem numero vivum et mortuum: nam ipse Christus dixit in Joanne: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui. Idem numero demonstratur per nomen hoc et per nomen illud: sed non potuit idem esse numero corpus nisi per eandem formam numero: ergo eadem forma corporis fuit in ipso vivo et mortuo. Cum igitur post mortem non fuit corpus per animam, (ergo) nec ante: Relinquitur igitur quod fuit corpus per aliam formam, quae simul fuit cum anima rationali in Christo vivo.

Ad octavum dicendum, quod peccatum originale anima contrahit per hoc quod unitur corpori infecto. Corpus autem infectum est per hoc quod derivatur a parentibus infectis. Per potentiam namque generativam patris infectam descendit virtus formativa foetus cum semine; et ideo corpus prolis defectivo est productum per virtutem quae est in semine, in quo est peccatum originale sicut in causa instrumentali. Anima igitur rationalis maculatur per unionem ad tale corpus, cujus organizatio est per virtutem infectam. Licet enim corpus sit *id* quod est substantialiter per animam a Deo creatam, tamen dicitur traductum via naturae propter organizationem quae est a natura, quae quia infecta est, ideo et caro producta ab ea infecta est: et sic anima carni unita maculatur. Non tamen intelligendum est quod peccatum originale sit in carne ut in subjecto. Non enim caro est subjectum culpa sed sola anima, sed in carne est tamquam instrumento. Unde sicut quidam ponentes formam corporis esse aliam ab anima ponunt eam opere naturae productam, et sic anima a corpore maculari; ita et hoc dici potest ponendo formam corporis esse animam per hoc quod

quantitates et alia accidentia corporis per virtutem formativam infectam *traducuntur*. Et propter hoc quia formatio corporis Christi fuit a Spiritu Sancto, ideo Christus natus de Virgine omnino expers fuit originalis peccati et actualis et talis partus decet Deum.

Ad nonum dicendum, quod corpus Christi vivum et mortuum est idem numero propter identitatem hypostasis, licet eandem formam non habeat vivum et mortuum. Et ideo non est dicendum quod sit totaliter idem. Cum enim vita sit aliquid corporis vivi, consequens est quod corpus quod desinit esse vivum non totaliter idem remaneat. Manet tamen idem numero secundum suppositum. Non enim habuit aliam hypostasim vivum et mortuum praeter hypostasim Verbi Dei. Est etiam idem secundum materiam licet non secundum formam. Et advertendum est quod ista identitas corporis secundum suppositum et secundum materiam sufficere debet adversariis ad identitatem *formalem* quia hoc necessario debent illi dicere qui ponunt formam corporis esse aliam ab anima. Certum enim quod talis forma si esset, esset corruptibilis: Impossibile est ergo quod ipsa eadem numero redeat in *resurrectione* generali etiam miraculose. Includit enim contradictionem. Ex quo enim esse *formae* simplex est, ejus corruptio est processus ad non esse simpliciter, sic quod nihil ejus remaneat in materia, sicut in aere tenebroso nihil manet de lumine. Si igitur rediret ad informandam materiam hoc esset per novam productionem ejus in esse; sed nova productio terminatur ad novum productum. Si ista igitur forma rediret, necessario esset alia numero a priori; et ita esset eadem numero, et non eadem numero secundum suam essentiam, quae cum includat *contradictionem*, necesse est dicere: quod in resurrectione corpus hominis resurgeret idem numero in quantum sibi unietur anima rationalis, quae dat esse hypostaticum idem quod prius, quod quidem communicabitur corpori illi; et ita est idem corpus numero propter unitatem formae corporis.

Aut igitur concedant quod ad identitatem corporis secundum numerum non requiritur quod habeat eandem formam per quam sit corpus, et tunc cessat *ista* de corpore Christi objectio. Aut dicant nobiscum quod corpus hominis est corpus per animam, et quod ipsa propter suam incorruptibilitatem manebit eadem numero et eidem materiae corporali unietur respective; et sic ex eisdem principiis tam formali quam materiali resurget idem corpus numero. Et si hoc etiam dicant, tunc ista objectio est nobis communis et illis, et oportet solutionem istam esse communem, quod unitas corporis Christi vivi et mortui est per identitatem suppositi, et etiam per identitatem materiae, non autem per identitatem formae, quia nulla eadem est utrobique.

Et huic consonat verbum Salvatoris in Evangelio *allegatum*; cum enim dixit: solvite templum hoc, cum per templum intelligendum sit corpus suum, significavit quod corpus suum esset solvendum. Si autem habuisset Christus aliam formam corporis ab anima, quae *forma* mansisset post mortem, fuisset quidem humanitas Christi soluta post separationem partium ejus, cum humanitas intelligitur ex corpore et anima: sed per mortem non fuisset corpus solutum sed compositum maneret in se sicut prius remanente, scilicet, forma corporis cum materia. Non enim solvitur *compositum* nisi separentur partes ad invicem. Sic igitur idem numero determinavit Salvator per pronomen hoc et per pronomen illud; non propter eandem formam quae fuit in hoc vel in illo, sed propter eandem hypostasim. Sed tunc videtur remanere difficultas de corporibus aliorum hominum a Christo. Ibi enim non manet eadem hypostasis corporis vivi et mortui. Si igitur non manet eadem forma corporis post mortem, sed inducitur alia non solum diversa secundum numerum, sed etiam secundum speciem, sequitur quod corpus Petri est naturae alterius. — Sed enim ad omnia quae apparent in corpore et sunt ex separatione animae Petri, ibi sunt reliquiae, scilicet, corporis vivi. Manifestum est enim quod materia est eadem numero quae prius. Forma etiam, licet alia sit tamen propter separationem animae, ibi relinquitur tamquam quaedam reliquia, ut ita dicam, animae separatae. Similiter et omnia accidentia relinquentur similia ex hoc quod similia praefuerunt in corpore vivo; et ideo dignum est quod corpora Sanctorum in magna veneratione habeantur ab hominibus, quia sunt reliquiae eorum quorum animae laetantur cum angelis. Et advertendum quod cum ex igne fit aer, non dicitur post corruptionem ignis quod corpus illud aereum sit corpus ignis, sed est corpus aeris. Quia enim aer qui generatus est in specie completa quae intenditur antea, non potest dici reliquia ignis sed potius cineres quae remanent post ignem dicitur reliquia ignis vel corpora relicta ex materia ignis; eo quod cineres sunt quasi quaedam corruptiones, non in alia specie quae intenditur antea, et eodem modo corpus mortuum quia est corruptio vivi, nec est in alia specie completa sed solum est via ad putrefactionem, dicitur corpus illius a quo relinquitur.

Codex Ottonianus ita respondet eidem difficultati.

Ad nonum dicendum, quod considerandum est quod ut salvetur identitas corporis humani in diversis temporibus, utraque pars opinantium *imponit alteri* errorem in fide. Sicut enim ponentes plures formas imponunt opinioni contrariae, quod non potest salvari quod corpus Christi *vivum* et mortuum fuerit idem numero, ita e converso ponentes unam formam in homine imponunt adversae parti quod non potest salvari quod post re-

resurrectionem generalem corpora resurgentium sint eadem numero quae prius fuerunt ante mortem. Primo, quod quia, ut dictum est, non potest fieri ut forma corporalis postquam corrupta est, redeat ad materiam suam remanentem ut recipiatur in ea, eadem numero. Et ad hoc ostendendum argumentantur sic: Si forma accepta redeat ad materiam suam, hoc non poterit esse per creationem ipsius formae cum talis forma non sit subsistens et nihil creatur nisi subsistens. Redibit ergo per educationem de materia, quae quidem educio erit mutatio illius materiae de forma. Individuatio autem formae sic educatae est per materiam. Licet igitur ejus educio ponitur miraculosa per virtutem divinam immediate *educentem* tamen individuatio ejus est naturalis. Individuatio enim talis formae non attribuitur agenti sed materiae, quae est principium individuationis. Cuius igitur ponatur quod materia de novo recipiat formam illam, sequitur quod materia novam ipsius individuationem causet, et per consequens aliam unitatem numeralem ab illa quam prius habuit; et ita talis nova productio terminabitur ad novum productum. Ergo forma quae ponitur redire eadem numero, non esset eadem numero; secus autem esset si poneretur quod Deus adnihilaret aliquid totum compositum et illud postea *repararet*. Illud enim posset reparari eadem numero quia non esset nova individuatio formae per novam receptionem ejus in materia mutata de forma in formam, sed esset ipsius formae individuatione cum sua materia reparatio.

Secundo etiam arguunt sic. Dato quod illa forma quae corrupta erat rediret *miraculose* eadem numero, adhuc secundum istam viam non esset proprie loquendo corporum resurrectio futura, sed esset corporum proprie productio. Resurrectio enim est ejus quod cecidit, quod manet postea, saltem secundum suas partes. Quod igitur non manet secundum suas partes postquam fuit, indiget nova productione et factione partium ad hoc quod sit. Talis autem productio non est resurrectio; et ita ponere formam corporis habitum corporalem dicunt repugnare resurrectioni corporum: ergo vere non imputes errorem opinionis quae ponit plures formas.

Respondeo ad rationem per quam videtur quod ponendo unam formam tantum non possit salvari quod corpus Christi vivum et mortuum fuerit eadem numero; et ut totaliter evacuetur objecto, primo quaero ab eis in qua significatione utuntur hoc nomine corpus cum dicunt corpus vivum et mortuum fuisse eadem numero: secundum quod significat partem materialem hominis, sicut secundum quod continet suppositum, et est genus praedicabile de homine et aliis corporibus subsistentibus. Si igitur accipiatur hoc nomen corpus secundum numerum, scilicet prout nominat totam identitatem; sic facile est salvari

quod corpus Christi mortuum quod jacebat in sepulcro, fuit eadem numero cum corpore vivo quod pendebat in cruce. Nec ad hoc salvandum oportet ponere aliam formam substantialem *eandem* in corpore vivo et mortuo quia sufficit ut salvetur identitas numeralis prima, *identitas* suppositi divini; et potest hoc patere per exempla in omnibus rebus. Idem enim coloratum secundum numerum est prius album et postea nigrum, quantum est idem suppositum, et tamen non manet *aliqua* forma coloris eadem numero: nec etiam eadem specie. Unde propter identitatem suppositi est idem coloratum; et ratio hujus est quia hoc nomen coloratum cum sit conjunctum continet suppositum. Idem enim est dicere coloratum et quod habet colorem album prius et colorem nigrum postea conjunctum. Ita est idem numero coloratum prius album et postea nigrum. Ponitur enim identitas non circa formam coloris sed circa suppositum habens colorem. Propter hoc etiam visuntur propositiones in quibus ex materia significantur *formae diversae* in conjunctione, ut album et musicum; quando scilicet *illae* formae sunt in eodem supposito. Non enim significatur identitas formarum, scilicet albedinis et musicae sed significatur quod illud idem sit suppositum, deferens utramque formam. Unde quocumque est transactio quae non variat suppositum sed formas succedentes in eodem supposito, non est participatio nominis communis *significantis* suppositum cum adjectione identitatis de illis formis significatis et contentis sub *eodem nomine* communi. Verbi gratia; veniens prius et recedens posterius, est idem ambulans. Similiter currens prius et ambulans posterius, est idem numero movens seipsum. Sic igitur patet quod non oportet ponere eandem formam corporis vivi et mortui in Christo, ut sonet quod corpus illud dictum esset idem vivum et mortuum, prout hoc nomen corpus significat totum indeterminate, quod homo significat determinate. Sufficiens est identitas hypostasis Filii quae dicitur quia non fuit separatus *Filius* a corpore mortuo sicut nec a vivo. Fuit etiam cum *hoc* identitas materiae in corpore vivo et mortuo, quando fuit subjectum illius transmutationis qua de vivo fiebat mortuum. Si autem hoc nomen corpus accipitur secundum quod significat partem materialem hominis, sic dicunt aliqui quod nec ratio nec auctoritas alicujus sancti cogit ut salvetur idem corpus vivum et mortuum. Auctoritates enim sanctorum intelligendae sunt ut debent, secundum quod hoc nomen corpus significat totum, non autem secundum quod significat partem; sed quia ex dicto scandalizatur pars adversaria, vulgi testimonium contra hoc adducunt, ideo ut plene eis satisfiat, expedit *aperire* quomodo iudicium rudis populi veritatem rei in proposito capere non possit.

Considerandum est igitur quod quia humana cognitio intel-

lectiva a sensibus ortum habet, homines vulgares indocti philosophia et assueti sensibus non elevant intellectum suum ad intelligendum aliquid nisi sensibilia. Unde quod non est sensibile ipsi iudicant universaliter non esse; et sicut iudicant, ita loquuntur et non aliter: quae, secundum iudicium eorum sunt vera secundum iudicium sapientium sunt falsa. Verbi gratia, solem esse quantitatis bipedalis, vulgus iudicat esse verum, quia sic apparet visui: astrologus tamen demonstrative scit hoc esse falsum. Et quia sol est major tota terra, scit etiam quod est sphaericae figurae, cum tamen vulgus credat ipsum esse planae figurae, quia sic apparet visui. Omnia enim iudicantur secundum quod apparenti sensui: et propter hoc quod aer non est multum sensibilis, ubi aer est, dicunt nihil esse, et vasa in quibus nihil est nisi aer, dicunt esse vacua, quia hoc nomen vacuum significat locum in quo nihil est. Sapientes vero demonstrative sciunt vacuum non esse nec possibile esse. Quia tamen sapientes conveniunt cum aliis et colloquuntur, ideo necesse habent eis concedere, ut loquantur conformiter ipsis cum quibus convivunt, licet aliter sentiant de iis de quibus loquuntur quam plures sentiant. Unde et sapientes vocant illa vasa vacua in quibus est tantum aer. Sciunt tamen quod plena sunt aliquo corpore subtili quod tamen ignorant rudes homines illiterati. Et hoc est quod dicit Philosophus in Topicis, quod loquendum est ut plures, sciendum autem ut sapientes. Ut igitur ad propositum accedatur, secundum iudicium populi ibi ponitur identitas ubi secundum apparentiam sensus non est diversitas. Unde quando vinum transmutatum est in acetum, nisi gustui apparet acerbitas, putatur acetum esse vinum, et quod esset omnino eadem res, vinum semper: sed diversitas quae apparet secundum gustum facit quod non dicatur idem quod prius fuit. Quia igitur in separatione animae a corpore non apparet diversitas quantum ad figuram et quantitatem et lineationem membrorum, et alia huiusmodi accidentia corporea, iudicatur a vulgo quod sit idem corpus post separationem et antea; harmonia enim quae fuit propria corpori vivo soluta est quidem, sed non apparet aspicientibus, et ideo non iudicant quod corpus sit in se transmutatum in tantum ut debeat dici aliud corpus, quod hoc sola ratione deprehendi potest cuius est cognoscere naturam substantiae: et ideo ut loquamur sicut plures loquuntur, dicendum est, quod corpus hominis vivum et mortuum est idem numero: et sic corpus bruti vivum et mortuum est idem corpus numero. Sciendum est tamen sicut sapientes quod per transmutationem substantialem vivum corpus factum est mortuum ratione alicujus transmutationis; sciendum est dico quod mortuum corpus non est idem numero quod fuit vivum quantum ad formam sed quantum ad mate-

riam. Unde nisi esset modus loquendi vulgaris, qui tenendus est abstracte, dicendum esset quod nullum vas esset vacuum et nulla domus est vacua nec aliquis locus vacuum, nisi communis modus loquendi obviaret. Et secundum hoc possumus salvare Commentatorem in hoc quod dicit quod dimensiones sunt eadem in generato et corrupto, et similiter accidentia alia communia. Potest enim dici quod hoc dicit forma dicendi communi modo loquendi plurium, qui ita loquuntur et sentiunt. Unde primo Physicorum dicitur quod dimensiones videntur in se plures in materia, et eadem numero, quia licet non sint in se plures et eadem numero, tamen videntur ad sensum eadem numero. Sic igitur non oportet ponere formam corporis vivi et mortui eandem numero ad hoc quod dicatur idem corpus vivum et mortuum. Et si arguatur quod diversitas in forma substantiali constituit diversitatem numeralem simpliciter, et ita propter diversam formam corporis vivi et mortui oportet ponere quod sit diversum corpus; dicendum quod bene concluditur quod ita sciendum est, sed non concludendum quod sit ita loquendum, quia obviat contrarius modus loquendi; et loquendum est ut plures. Licet enim demonstrationes philosophi cogant me sentire quod nihil sit vacuum, non cogunt ut ita debeat loqui quia plures non sic loquuntur.

Quia autem allegatum fuit illud Evangelii: solvite templum hoc etc. non pro te ista faciunt quia innuitur quod corpus Christi esset solvendum, si autem post separationem animae mansisset corpus idem secundum formam quae prius, jam idem corpus non fuit solutum post mortem proprie loquendo. Non enim solvitur aliquid compositum nisi partes separantur absolute quae erant unitae. Unde humanitas Christi fuisset soluta per separationem animae a corpore, quia humanitas notat quandam compositionem ex anima rationali et corpore; sed si anima non sit forma corporis quae corpus est, corpus non fuit solutum propter separationem animae ab ipso, sed oportebit dicere quod forma quae constituat corpus non remanserit in materia si illud corpus solutum fuit; et sic non fuit corpus per eandem formam numero post mortem et antea, et ita incidunt per istam auctoritatem in illud quod vitare conantur. Sed contra ponentes unam formam nihil facit illa auctoritas, quia ponunt solutionem corporis Christi per mortem fuisse factam; et si concederent etiam quod non fuerit idem corpus idem numero unum, significatur identitas templi ante solutionem et post immediate, seu ante quam reaedificaretur, sed significatur identitas templi ante solutionem et post eius reaedificationem. Est enim sensus: solvite templum hoc, scilicet corpus meum vivum, et post triduum reaedificabo illud, scilicet ut sit idem quod nunc est; ut sit illud denique realiter corpus idem numero ante passionem

et post resurrectionem: quod etiam verba Salvatoris expresse sonant, quia dicit post triduum reaedificabo illud, ita quod de identitate ejus in triduo nulla sit *intelligentia* in verbis illis. Hoc tamen non ideo dicendum, quod concedendum sit quod *in triduo* corpus Christi non fuit idem quod prius, sed ut appareat quod ex auctoritate praedicta illud non habetur quod *in triduo* fuerit idem numero. Sic igitur apparet quomodo salvetur identitas corporis vivi et mortui ponendo unam formam et ponendo etiam cum hoc, quod hoc nomen corpus prout significat partem animalis includat in sua significatione non solum materiam sed etiam formam sub aliqua ratione cum praecisione tamen formae secundum alias rationes ipsius.

Potest autem hoc idem salvari faciliter ponendo, sicut aliqui magistri ponunt quod hoc nomen corpus prout significat partem materialem hominis, non includit in sua significatione formam, sed significat materiam prout conjuncta est quantitati tali et naturae tali et organizata ita, quod significat materiam quamdam organi causa *organicam*; et sic significata materia non est aliud quam materia. Non enim est aliud compositum ex diversis, sed est materia quae est simpliciter cum tali modo se habendi. Quia igitur nulli dubium est quin materia fuerit eadem numero ante mortem et post, planum est quod corpus fuit idem accepta significatione hujus nominis corpus, non solum per communem modum loquendi sed per existentiam rei.

Quod autem dictum de identitate corporis Christi vivi et mortui, dicendum est de corporibus aliorum hominum, et quantumvis corpora sanctorum non informantur eadem forma, viva et mortua, nihilominus eadem sunt, et loco prioris formae, relinquuntur alia tamquam quaedam reliquiae animae, ut ita dicam, dignum est ut corpora sanctorum in magna veneratione..... habeantur cum angelis, organa scilicet, quorum animae vitam aeternam invenerunt.

(Deinde Cod. Ot. concordat cum Cod. Vat.)

OPUSCULUM XXI.

DE POTENTIIS ANIMAE

(Ench. Rom. XIII.)

CAPUT I.

Quot sunt animae, quot gradus viventium, quot genera potentiarum animae. Et primo determinat de vegetativa.

Ut adiutorium homini collatum, et progressum peccati plenius videamus, de anima et ejus potentiis aliquid consideremus. In primis ergo oportet supponere cum Philosopho in 2 de Anim., quod anima est primum principium vitae in istis rebus inferioribus: animata enim viva dicimus, inanimata vero non viva. Ista enim vita duplici operatione manifestatur: cognitione scilicet, et motu; unde et philosophi, ut patet 1 de Anima, per ista duo animae naturam investigaverunt. Pro tanto autem dico primum principium vitae: quia, licet aliquod corpus possit esse principium vitalis operationis, ut oculus visionis et cor vitalis operationis; non tamen est primum: quia hoc non convenit eis in quantum sunt corpora, sed in quantum sunt talia corpora, scilicet viva: quod habent per animam. Quia quod est actu tale, hoc habet ab aliquo principio, quod est actus ejus. Anima ergo quae est primum principium vitae, non est corpus, sed actus corporis, et aliquid corpore alius. Nunc autem sic est secundum Philosophum in 2 Cael. et Mund., quod ea quae sunt infima in entibus, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam consequuntur paucis motibus: his vero superiora consequuntur perfectiorem bonitatem motibus multis: superiora vero his perfectam adipiscuntur bonitatem motibus paucis: summa vero perfectio invenitur in eo qui absque ullo motu perfecte possidet bonitatem. Quia ergo natura humana est inter corporalem et angelicam naturam constituta, ad majus bonum est ordinata quam natura corporalis quae ordinatur ad aliquod particulare bonum, quia ad aequale cum Angelis, scilicet ad beatitudinem: ideoque plures habet virtutes et operationes quam corporalia quae ordinantur ad bonum particulare et quam Angeli qui eam in naturalibus excedunt. Sunt ergo in anima humana plures potentiae ad hoc ut consequi possit beatitudinem ad